



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per  
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Sutorum, Sartorum objecta.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

*Pars secunda de elevatione rem, aliud verò in contumeliam? Rom. 8. Deus in multa patientia sustinuit vasa ire apta in interitum; ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriæ. Ibid. Ex magnis scilicet peccatoribus magnos faciendos Sanctos.*

*Sutorum, Sartorum objecta.*

*Solve calceamentum de pedibus tuis ( terrenos affectus ) Locus enim [ templum ordo religiosus ] in quo stas, terra sancta est. Exod. 3. Nolite portare sacculum neque peram, neque calceamenta. Luc. 10. Superflua viro Apostolico recedenda. Argentum & aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis. Act. 10. Taliter posse loqui gloriosum est viro Apostolico, etiam justitiæ Ministris. Quomodo huc intrasti ( ad Sacrum, Communionem, Oratorium ) non habens vestem nuptialem. Matth. 22. Gratia sanctificantis. Proferte stolam primam, & induite illum. & date annulum in manu ejus, & calceamenta in pedibus ejus. Luc. 15. Filius prodigus symbolum peccatoris in gratiam recepti. Ipsi peribunt [ cæli ] tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos. Pl. 101. Quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum, quod comeditur à tineâ. Job. 13. Quis est iste? qui venit tinctis vestibus de Bofra? quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcamentum*

*tinum in torculari? torcular calcavi solus. Il. 63.*  
Christus flagellatus, crucifixus, totus sanguine suo per torcular passionis inundatus. *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Matth. 27. Tunica inconsutilis symbolum veræ Ecclesiæ non ferentis scissionem in unitate fidei & morum. Christus apparuit veste discissâ, & hoc Arium fecisse dixit, sicut & ex post alii id fecerunt Hæretici fidelibus interim (veram Ecclesiam constituentibus) in unione permanentibus, ubi mira elucet Dei providentia; quòd, dum una ditio deficit, alia ad veram fidem accedat. Sic deficiente Germaniâ, Angliâ &c. gentiles in utraque India veram fidem ex gentilismo amplexi sunt. O felix tempus! quando erit unum ovile & unus Pastor. Intincta tunica Joseph in sanguine hædi figura est tunicæ Christi sanguine ejus proprio imbutæ. Interim magnus pro textoribus & sartoribus honor, quòd Christus tunicam habuerit inconsutilem, quæ indivisa mansit sub Cruce, eamque Beatissima Virgo dicatur adaptasse.

*Ad pistrinam spectantia.*

**M**odicum fermentum totam massam corrumpit. ad Gal. 5. Exigua passio, minùs defæcata intentio corrumpit meritum, & unus malus multos bonos. *Comedit panem (subcinericium) & ambulavit in fortitudine cibi illius 40. diebus & 40. noctibus usque ad montem Dei Horeb.*